

verba quibus nebulones isti tenebras obducere  
conantur. Luc. 2. c. 21. Artic. 67.

Cum completi essent dies purgationis  
eius. *Annotatio*, Legitur & foeminino  
genere Eius, & Mariam refert, id est, dies  
quibus cōtinuerat se domi, impuritatem  
simulans, ne Legis trāsgressionis accusa-  
retur. In Bibliis 1545.

*Censura*, Hæc annotatio quo ad illam  
partem, Impuritatem simulans: impro-  
pria est locutio, & piis auribus malè so-  
nans: rectius dixisset, puritatem occultās.

Hic vero novos homines non pure simulant.  
Quia hætenus barbariem pertinaciter tueri so-  
liti sunt, nunc videri affectāt latinis magi-  
stri. Verū quis credet? Ac res quoque ipsa ostē-  
dit, ridiculos esse sutores, dū ultra crepidas sibi  
sumunt iudiciū. Displicet quod dixi, impuritatem  
à beata Virgine fuisse simulatam: potius dicen-  
dum fuisse contēdunt, quòd puritatem occulta-  
uerit. Verum in hoc secūdo membro minus ex-  
primitur quàm decebat. Purgatione enim vsa  
esse dicitur. Quorsum? Nempe acsi cōmuni mo-  
re fœdata esset ex partu. Ergo Legis ritum su-